

euiti eventus. Ergò. Galenus enim artis præcepta, (quæ vocat theore-  
mata) vult esse totaliter seu universaliter vera: πάντα θεωρήματα  
inquit, δεῖ ὅλως ἀληθῆ εἶναι. IV. Id, quòd artis doctrina acquiritur,  
arripitur, & comparatur, non est Ars ipsa. Sed habitus artificialis ac-  
quiritur & c. Ergò.

XXVI.

Ex his porro sequitur; Logicam etiam non esse habitum, quate-  
nus ut nondum rebus applicata consideratur. Nam quomodo quæso ha-  
bitus alicuius docentis, antecedente studio acquisitus, & habitus discen-  
tis, qui partim doctrina excitatur, partim sequenti usu & exercitatione  
confirmatur & perficitur, ipsa Dialectica esse potest? Si est Logica ar-  
tificialis, quam puer discit, iam in mente ejus, cur discit? Si non in men-  
te; quomodo obsecro est habitus?

XXVII.

Et hæc de genere Logices dixisse sufficiat: superest & subiecti &  
finis consideratio: queritur enim, circa quam rem hæc Ars rationis  
versetur, & quo fine.

XXVIII.

In subiecti autem consideratione hoc probè primò notandum:  
Logicen, ut à reliquis disciplinis & artibus distincta est; sic etiam di-  
stincta præcepta & notiones à reliquarum artium notionibus posside-  
re distinctas: unde & rem propriè peculiariter sibi substratam expli-  
cat. Deinde unanimi ore fatentur omnes, Logicam esse disciplinam in-  
strumentalem, & artibus instrumentarijs annumerari.

XXIX.

Atq; ex his facile apparet, duplex subiectum habere Logicen;  
unum, quod ipsi germanum atq; proprium est, cuius naturam atq; pro-  
prietates præceptis atq; regulis suis propriè explicat; alterum cum ar-  
tibus instrumentarijs commune. Illud ex Dn. Melanchthonis sententia  
est docendi, definiendi, argumentandi, h. e. benè ratiocinandi modus &  
forma: Hoc verò est omne Ens, omnis res, omnes materiae, quæ Logice  
tractari possunt. Fr. Toletus com. Log. pag. 9. Fonseca Dial. Instit. l.  
1. c. 3, Item lib. 2. Metaph. c. 3. quæst. 1. sect. 5. Item lib. 4. c. 2. in  
explicatione textus, & alibi, Item Dial. Instit. lib. 1. c. 4. P. Ramus  
lib. 10. schol. Rhetor. Idem lib. 2. schol. Dial. c. 1. Ibidem lib. 2. c. 7.  
Beurhus. Pedag. part. sec. pag. 122.

XXX.

Etsi verò alij, mentem magni illius Melancht. non rectè percipi-  
entes,

B 4